



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 3. Terræ sanctæ bonitas & amplitudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

ergo cogitaret scelerum summus vindex;
fame plectere mortales reliquos, quodam-
modo solicitus fuit de seruis suis; certè ter-
ram illis prospexit, in qua, ceteris alibi in-
dia pereuntibus, alerentur; & quidem ter-
ram optimam.

§. III.

Terræ sanctæ bonitas & amplitudo.

Quod postea longè apparuit manifesti-
us, quando in eadem terra, tyrañica serui-
tute afflicti gemuerunt. Ait enim se descen-

Exod. 3,8. disse Deus, vt liberaret populum Hebræū,
& educeret de terra illa, in terram bonam, &
spatiosam, in terram, quæ fluit lacte & melle;
ad loca Chananei, & Hethæi, & Amorrhai,
& Pherezæi, & Iebusei. Cuius beneficij ma-
gnitudinem ex sequentibus possumus affi-
mare argumentis. 1. Quia consceleratas
illas gentes, ea terra indignas judicauit;
quas (etsi sine omni culpa potuisset inde-
eijcere, tanquam supremus Dominus) in
flagitorum poenam ex illa regione susti-
lit. 2. Quia ex angusta habitatione, eduxit
eos in terram Chanaan, quæ cum terra
Gessen comparata fuit spatiosa. Quamuis

S. Hieron. enim eam S. Hieronymus a Dan usq; Ber-
nym. ep. sabee, vix centum sexaginta milliarium in
longum

longum spatio tendi putet, latitudinis vero, 129. ad
 qua ab Ioppe maritima vrbe, vsque ad Dardan.
 Bethlehem extendebat, non amplius
 quadraginta sex millaria habitabilis fue-
 rit (vltiora enim inculta fuere) tamen
 Hecatæus Abderita, cum Alexandro Ma-
 gno nutritus, & cum Ptolomæo Lagi com-
 moratus, ita scripsit: *Pene decies trecenta*
millia jugera terrarum optimarum, uberrimæ
provincie possidere noscuntur (Iudei) Iudea
namq; est huius amplitudinis. Est autem ju-
 gerum, spatum terræ, quantum uno die
 arari potest uno jugo boum: & longitudo
 eius est ducentorum quadraginta pedum,
 latitudo centum viginti. In hoc spatio
 cum habitare potuerint septem gentes,
 multò, quam Hebræi erant, numerosiores,
 meritò terra illa Hebræis promissa appel-
 lari potuit *spatiosa*; de cuius angustijs nun-
 quam sunt questi. Quanquā & hanc ipsam
 regionem se vsque ad Euphratem propa- Gen. 15.
 gaturum promiserat Deus, si illi ita cresce-
 rent, & in diuino cultu legumq; obseruan-
 tia perseverarent. Quod & Dauidis ac Sa- 2. Reg. 8.
 lomonis ætate factum. His enim regibus & 3. Reg.
 omnis Syria, aliæq? regiones vsq; ad Eu- 4.
 phratem sub tributo seruierunt. Et, tem-
 pore

Apud Io-
 seph. li. i.,
 contr. A-
 pionem,

Perer. in
c. 3. Exod.
disp. 10.

Perer. in
c. 3. Exod.
disp. 10.

Strabo.
lib. 16.

pore Dauidis, inuēta sunt quindecies certa
tena millia bellatorum. Multitudo autem
bellatorum, in prouincia aliqua, censemur,
tanquam quarta pars totius multitudinis
hominum: præcipue apud Hebræos, qui
nisi à viginti annis, & supra, non conscri-
bebantur ad militiam, exceptis omnibus
junioribus, & feminis, quarum plures sibi
conjugio copulabant Hebræi, & ijs, qui ob-
senilem ætatem ad bellum idonei non
erant. Quod si igitur tanta Iudæorū mul-
titudo, in tam angusta regione, lautè vi-
uere potuit, necesse est, terram fertilissi-
mam extitisse. Quod magis confirmatur;
quia ante Hebræos, longè ibi plures vixe-
runt, quando adhuc septem ibi gentes di-
uersæ habitauerunt. Gentes porro septem
ibi prius habitasse, etsi varijs de cauillis
alibi plures, alibi pauciores, in diuinis
litteris nominetur, recte ostendit Pererius.

§. IV.

Fertilitas terræ S. dininis litteris tradita.

3. Beneficium huius terræ Israëlitis à
Deo datæ demonstrat eximia eius fertili-
tas. Quam licet Strabo, tanquam loco, in-
tra sexaginta stadia, circa Ierusalem
(quam Iosephus totius Iudææ optimam

fiuit